



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

fuert David, à qua deus tunc liberare noluit, tamen
 & fiducia in deū nō cadit, alioq̄ cur tertio adoraret?

CAPVT XXI.



ET uerbis & facto fingit aliud quàm res
 habet David in hoc capite. Alterū, quo
 calet consiliū sacerdoti, quem timuit for
 te nō subuenturū in necessitate propter
 regis timorem. Alterum, quo se liberet à periculo qđ
 timebat. Davidis infirmitas in utroq; describitur, aut
 certe noluit deū tentare exponendo se morti ubi non
 erat neesse. Infirmitatem tamē manifeste nobis scri
 ptura describit. Alterum autē quàm male ceſerit sa
 cerdotibus & toti ciuitati sequenti cap. uidebimus.

Achimelech. Supra cap. 14. dicitur Achias filius
 Achitob, quemadmodū & sequenti capite dicitur fi
 lius Achitob, id quod moneo, ut scias istam progeniē
 esse ex Heli, quēadmodū legis. 14. c. propter ea quę
 dicemus cap. sequenti. Solus & nullus tecum scilicet
 ex aulicis uiris, tantū uenis cū aliquot seruis, Nam
 infra inueniunt puerū, qui cum Dauide uenerant.

Condixi] Cōmisi negocia ad diuersa loca, scilicet
 cet ne iam omnes apud me sint. Non habeo panes
 laicos.] Heb. lingua cōmunes dicit, id est, quibus li
 cebat uesci omnibus, sed tantum panem sanctū. i. quo
 secundū legem nō liceat uesci nisi sacerdotibus.

A mulieribus. Mundicies legis erat pertinēs ad sanctificationem illam externam, ne impediretur desyderium in deum. Ideoq; iubet dominus legem daturus Exo. 19. ne appropinquent uxoribus. & Paulus bonum iudicat ad tempus à congressu coniuges abstinere ut uacent orationi, non tamen sine mutuo consensu & c. Dicit ergo uasa, id est corpora seruo-

John

rum ab uxoribus sancta siue munda. Verū ait in uia non nihil immundicie contraximus, uidelicet uel nocturna pollutione, uel alio secundum legem immundo contactu, sed hoc ipsum die transeunte transibit.

Nam lex dicit de uulgaribus & penē quotidianis immundicijs, immundus erit usque ad uesperam & c.

Quare nihil hic est piculi, si nihil aliud obstat quā immundicies externa illa. Sic Paulus quoque nomine uasis utitur. 1. Tess. 4. Hęc est uoluntas dei, sanctificatio uestra, ut sciat unusquisq; uas suū possidere & c.

Vas enim more hebræo pro omni instrumento ponitur, ut Eze. 9. Vniuscuiusq; uas interfectionis in manu eius. Et corpora nostra sunt instrumenta nostra, quibus agimus. Et sancti dicuntur instrumenta dei, per quos ipse suo spiritu agit, quemadmodum Christus Paulum nominat uas sibi electum, Actuum. 9.

Insignis est hic locus interprete Christo, Mat. 12. & Mar. 2. quem Moyses iubet audiri, Deuteron. 18.

Sentit hic sacerdos & Dauid, licet adhuc sub umbra

legalis mundiciae, id quod Paulus dicit Tit. 1. Omnia munda mundis. &c. & 1. Tim. 4. Omnis creatura dei bona est. &c. & 1. Cor. 3. Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue praesentia, siue futura, Omnia enim uestra sunt, uos autem Christi, Christus autem dei. & psal. 8. Omnia subiecisti &c. & alibi, Domini est terra &c.

Si ergo licuit Dauidi ista uti libertate credentium, nondum reuelata Euangelica luce, quando interim etiam lex dei ista prohibebat, quid nos decretis & elementis mundi torquemur, quando reuelatum est regnum dei non esse de hoc mundo, Col. 2. Neceſſitas & charitas dispensat de lege diuina, sicut interpretatur Christus, & nos truncis stupidiores, legibus humanis & doctrinis demoniorum nos finimus alligari.

Erat aut.] Hoc additur propter historiam cap. sequentem.

Si habes.] Arma requirit qui sub protectione dei est, sicut & ante requirebat panem, ne uideatur tentare deum, non tamen sperat in armis. ALLEGORIA. Gladio post pugnat quem abstulit a Philistaeo, sicut & nos hodie scriptura pugnamus, quam sibi ante uentibus cauerant impiae gentes, scribae, & pharisaei, qui suis uiribus confidebant in regno satanae, secundum doctrinas demoniorum. Abstulimus gladium per deum Israel, & interficitur antichristi regnum spiritu oris Christi, id est sancto Euangelio. &c.

Ad Achis.] Ionatas diligit Dauid ut animã suam, & omnis Israël diligit Dauid, & tamẽ ita deseritur seuiente Saule, ut magis tutũ sibi putet fugere ad aduersarios, quã manere inter amicos. Qui enim potuerunt magis odise Dauidem quã Gethai, quorũ unus fuerat Goliath? ut uel hinc uideas qua necessitate actus sit Dauid. Nihil leue describitur in omni Dauidis persecutione. Tutior est (ut in historia sequenti uidebis) inter gentes, quarum inimicus erat, quã inter Israëlitas, quos dominus sæpe seruauerat per ipsum. De simulatione supra diximus. Verũ stultitia nostra est dum disputamus de talibus factis, an peccarint in his sancti, nec ne? Sancti incidunt ubi opus est in ista consilia, non quærũt, nec postea ducunt imitanda, Neq; nos debemus inde leges facere. Hoc incidit Dauidi, incidet tibi aliud per deum, si ita ei uisum fuerit, quemadmodũ hodie quibusdam dat occasionem euadendi ex carceribus, ex manibus hostium sine ullo detrimento salutis aut scandalo Euangelij, ob quod persecutionem sustinent. Certe Dauid liberationem istam non tribuit simulationi, sed deo, qui consilium simulandi ei dederit quo eum liberaret, id quod in Hebræo satis declarat titulus psal. 33. ubi uidere licet, quã ex hac historia doctus confidendum doceat deo in omni necessitate & uentris & mentis.

ALLEGORIA. Christus & Christiani corã primã

cipe mundi & sapientia carnis uidentur insanire & digni qui contemnantur & abijciantur, Esa. 53. Nihil enim uidetur nisi formæ crucis & stulticiæ, & ferè fit ut ipsi fideles nihil uideant nõnunq̃, nisi suum peccatũ, quemadmodũ Christus quãdo nostrum portauit. Verum interim cæcus satan & stulta mundi sapientia suos uictores non agnoscit. & c.

CAPVT XXII.



Hoc caput indicat totam Dauidis progeniem nõ esse tutam in regno Saulis propter Dauidem, & propter eundem occidi sacerdotes domini. Qui potuisset apertius describi ista tyranni insania? Neq; dei neq; hominum hic habetur respectus, ubi seruitur animi infidelis morbo, qui affectus est in omnibus qui querunt sua, ut maxime sese non prodant ad tempus, sed in speciem optimi uiri uideantur. Simul omnes interiisse uolunt quotquot resistunt. Nam utcunq; atrociam istam iudicentur, tamen speciem boni regis Saul defendere conabatur, id quod & eius oratio indicat, Dauidem enim persequitur, & quotquot ei fauent, ut eos qui in regem conspirauerant & coniurati erant. Ita mentitur iniquitas sibi, Psal. 26. Ita iustus & iusticiæ confessor non solum persecutionem sustinet & odiũ, sed etiam quotquot ei bene uolunt, scdm illud. Si de mun